

*Instrumentum venditionis di Antonello
Pagano e di sua moglie Billotta
de Musculo, di Potenza, a favore
del prete Giovanni de Satriano*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum venditionis di Antonello
Pagano e di sua moglie Billotta
de Musculo, di Potenza, a favore
del prete Giovanni de Satriano*

1489 dicembre 8

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen.
Anno a nativitate eiusdem millesimo quatricentesimo
octuagesimo nono, regnante inclito et serenissimo
domino nostro domino Ferdinando, Dei gratia Sicilie,
Ierusalem et Hungarie rege, regnorum vero suorum
anno tricesimo secundo, feliciter, amen, die octavo
mensis decembris anni octave indictionis, apud civitatem
Potencie.

Nos Fredus de Palermo, Potentinus, regius in toto
hoc regno Sicilie ad contractus iudex, Galienus de
Lauro civitatis prenominate puplicus ubilibet per totum
predictum regnum Sicilie regia auctoritate notarius et
testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati
presenti scripto puplico venditionis instrumento fatemur,
declaramus, notumfacimus et testamur quod eodem
predicto die in nostri presentia presentibus et personaliter
constitutis Antonello Pagano, Potentino, et Billocta
de Musculo, eius uxore, muliere Potentina, mero iure
romano vivente ut ceteri homines utriusque sexus dicte
civitatis ab antico vixerunt et vivunt, agentibus et
stipulantibus ad omnia et singula infrascripta pro se,
heredibus et successoribus suis ex una parte, ipsaque
Billocta agente ad maiorem cautelam cum consensu,
voluntate et beneplacito dicti Antonelli, predicti sui
viri, ibidem presentis et dicte sue uxori in toto presenti
instrumento consentientis ex una parte, et domno
Iohanne de Satriano, Potentino, agente similiter et
stipulante ad omnia et singula infrascripta pro se,
heredibus et successoribus suis ex parte altera. Predicti
Antonellus et Billocta et quilibet ipsorum non vi, dolo
malo, metu ducti ad id vel aliter circumventi, sed
eorum, ut dixerunt, pura, mera, gratuita et spontanea

voluntate pro suis utilitatibus peragendis palam, pure, puplice et bona fide, sine aliquo vitio et colludio pravitatis a presenti die vendiderunt, alienaverunt et ex ipsa venditionis et alienationis causa traddiderunt et assignaverunt, iure proprio et in perpetuum, predicto domno Iohanni, ibidem presenti, ementi et recipienti vineam unam eorum cum arboribus in ea sistentibus et cum omnibus iuribus, rationibus, proprietatibus et pertinentiis suis vacantalibus et aliis in ea solitis, sitam et positam in tenimento civitatis predicte et proprie ubi dicitura vulgariter lo Destro socto Sancto Iacobo, confinatum, ut dixerunt, iuxta vineam ecclesie Sancti Michaelis quam tenet Georgius de Campanea, limite mediante, iuxta vineam Iohannis de Guercio et vineam Antonii de Perrecta, sulco comuni mediante, iuxta a superiori parte vineam Donati Zocti de Diano, sulco comuni mediante, et vineas heredum condam Iacobi de Cipriano et Novelli de Fina, limite mediante, et vineam Francisci de Arpino, limite mediante, et iuxta vineam emptoris predicti, sulco comuni mediante, cum via intrandi ad dictam vineam ab eaque exeundi per quintanam sistentem inter vineas Iohannis de Guercio predicti, nec non cum via intrandi etiam ad dictam vineam ab eaque exeundi personaliter tantum et sine bestiis per sulcum sistentem inter vineam dictorum emptoris et Donati, que via incipit suptus Sanctum Iacobum si et prout de presenti consistit et de preterito consistere consuevit, francam, liberam et exemptam ab omni honore servitutis neminique obligatam, fore dixerunt, pro precio et nomine ultimi et finalis precii inter eos finiti et conventi unciarum sex et tarenorum viginti carlenorum argenti sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis usualis pecunie regni huius

Sicilie, quas et quos confessi fuerunt dicti venditores et quilibet ipsorum recepisce et manualiter habuisse a dicto emptore in eisdem carlenis argenti ex titulo venditionis predicte. Qui Antonellus et Billocta et quilibet ipsorum eundem domnum Iohannem emptorem presentem et recipientem in possessione et tenuta dicte vinee per fustem coram nobis induxerunt ad verum dominium et proprietatem emptoris predicti et suorum heredum et successorum ad semper ex nunc in antea ex causa venditionis predicte per ipsum emptorem et suos heredes et successores habendum vineam ipsam, ut supra, tenendum, possidendum, vendendum, alienandum, permutandum, nec non faciendum de ea, in ea et ex ea iuribus, rationibus, proprietatibus et pertinentiis solitis dicte vinee spectantibus et pertinentibus quicquid emptori predicto et suis heredibus et successoribus placuerit et melius visum erit tamquam de propriis rebus et bonis suis et ut veri et integraliter domini super qua vinea iuribus, rationibus et proprietatibus predictis, dicti venditores et quilibet ipsorum ullum ius ullamque actionem, dominium vel proprietatem ullo unquam tempore reservaverunt omnia iura et actiones emptori predicto et suis heredibus et successoribus cesserunt et refutaverunt. Et promiserunt venditores predicti et quilibet ipsorum promisit emptori predicto et obligaverunt se propterea, heredes et successores suos et bona eorum omnia mobilia et stabilia habita et habenda ubicumque et penes quoscumque sistencia et deinde exitura licita et illicita et alia cuiuscumque vocabuli appellatione distincta et illa etiam que in generali obligatione non veniunt nisi per verborum expressionem, venditionem et stipulationem predictas et omnia et singula supradicta et infrascripta in presenti instrumento

contenta per eos acta et gesta consueta et promissa et presens etiam instrumentum cum contentis in eo iuxta ipsius continentiam et tenorem omni tempore et in perpetuum ratas, gratas et firmas, rata, grata et firma, nec non ratum, gratum et firmum habere, tenere et inviolabiliter observare et contra et adversus eas vel ea vel ipsorum aliquod non dicere, facere, opponere, pretendere vel venire, nec litem, causam seu controversiam eis movere vel moventi aut inferenti seu inferri facienti assistere vel consentire, nec per se nec per alium seu alios eorum nomine, de iure vel de facto, in iudicio vel extra iudicium agendo vel excipiendo aut aliter quoquomodo immo libere, pacifice et quiete et absque lite vel molestia aliqua permictere et sinere emptorem ipsum tenere et possidere vineam predictam cum integro statu suo, nec non vineam predictam, ut supra, emptori predicto et suis predictis heredibus et successoribus semper in iudicio vel extra iudicium defendere, guarentire, disbrigare, excaluniare, vincere et de evictione teneri ad penam unciarum decem medietate videlicet ipsius pene si eam commicti contingat regie curie vel alteri curie cuicumque in qua exinde de premissis reclamatio seu querela facta fuerit applicanda et reliqua ipsius pene medietate emptori predicto et suis heredibus et successoribus integre et sine diminutione aliqua persolvenda, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dicto emptore pro se et suis heredibus et successoribus a venditoribus predictis penam stipulantibus antedictam. Qua pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, exacta vel non exacta seu quomodolibet gratiose remissa presens nichilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et

efficacia perseveret, rato manente pacto cum refectione et integra restitutione omnium et singulorum dapnorum, interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus dapnis, expensis et interesse stari et credi debeat ex pacto assertioni cum iuramento dicti emptoris et suorum heredum et successorum, nulla alia probatione quesita vel querenda, ita quod reduci non possit ad arbitrium boni viri neque quomodolibet appellari aut aliter exinde reclamari lege qualibet in contrarium non obstante. Que bona superius obligata constituerunt se interym venditores predicti et quilibet ipsorum precario nomine et pro parte dicti emptoris et suorum heredum et successorum tenere et possidere quod precarium liceat et licitum sit emptori predicto et suis heredibus et successoribus quandocumque voluerint revocare et ad se advocare nulla sollempnitate servata quia sic fuit actum inter easdem partes. Et renunciaverunt venditores predicti et quilibet ipsorum ex certa eorum sciencia voluntarie et expresse et quolibet predictorum pro cautela dicti emptoris et suorum heredum et successorum exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, presentis sic non celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non sic geste vel aliter habite, quam ut superius et inferius continetur et est expressum, exceptioni dicte pecunie non solute, non habite, non recepte ab emptore predicto ex causa predicta et non boni et non ponderati argenti, legi resissorie et beneficio per quam deceptis ultra dimidiam iusti precii venditionis in contractibus subvenitur, beneficio restitutionis in integrum, ausilio Velleiani pro mulieribus introductis, exceptioni dicte venditionis non bene facte, non secute realiter modo predicto et generaliter omnibus aliis

ausiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri quo cavetur quod dicto iuri renunciari non possint, quibus et propter quod dicta venditio seu scripti huius tenor possent in aliquo minui vel infringi, irritari vel annullari. Certiorati prius, ut dixerunt, venditores predicti et quilibet ipsorum certioratione condigna per iurisperitum de iuribus, legibus, exceptionibus et renunciationibus ipsis et effectibus eorundem antequam renunciarent eisdem. Et iuraverunt dicti venditores et quilibet ipsorum ad sancta Dei evangelia tactis licteris predicta omnia et earum singula vera esse ipsaque firmiter actendere et inviolabiliter observare, ut superius continetur. Unde ad futuram memoriam dictorum venditorum preces et dicti emptoris et suorum heredum et successorum cautelam perpetuam ac certitudinem omnium quorum et cuius inde interest et interesse poterit in futurum factum est exinde hoc presens publicum instrumentum per manus mei notarii supradicti signo meo solito signatum, mei, cuius supra, iudicis et nostrorum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

1

Quod scripsi ego idem Galienus de Lauro puplicus, ut supra, notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi, superius autem ubi legitur «sexus» et ubi legitur «dicitur» interviregulatum actatum et emendatum est per me notarium supradictum non vicio sed errore quia scribendo casualiter erravi, unde pro autentico habeatur. (S) † Ego qui supra Freda de Palermo de Potencia regius
La parola è vergata nell'interlineo.

*Instrumentum venditionis di Antonello Pagano
e di sua moglie Billotta de Musculo, di Potenza,
a favore del prete Giovanni de Satriano*

9

ad contractus iudex interfui et me subscripsi et signo
meo solito signavi. † Ego domnus Georgius de Tito
de Potencia testis sum. † Ego domnus Manfredus de
Graciano testis sum. † Ego domnus Arfinus de Satriano
testis sum. † Ego domnus Savinus de Grasso de Potencia
testis sum. † Ego domnus Nicolaus Antonius Porcarius
testis sum.